

## Band X., Nr. 4674, Seite 347-350

*Graf Gottfried von Tübingen verkauft an Kloster Bebenhausen den Fronhof und andere Güter in und bei Tübingen.*

Tübingen, 1295. Mai 15.

Gotfridus comes de Tuwingen universis presentium inspectoribus salutem cum notitia subscriptorum. Quia fides instrumentorum cum depositionibus testium eandem optinet firmitatem, expedit gesta legitima scripturarum attestationibus commendari. Hiis igitur scriptis tamquam in iure confessi notorium reddimus universis, quod nos omnium quorum intererat accedente consensu curias nostras apud Tuwingen sitas dictas Fronhove, quibus annexum est ius patronatus ecclesie iam dicti loci de Tuwingen, et curiam ibidem sitam dictam dez von Ruge gût cum omnibus suis pertinentiis, exceptis dumtaxat vineis, item vineas dictas dez phallenzegraven berg cum suo torculari sitas apud castrum Tuwingen, et Wizzemannesberg, immo prorsus omnes vineas apud Tuwingen sitas, quas a dilecto patrueli nostro Eberhardo comite de Tuwingen dicto Schârer emimus bona fide, excepta tantum vinea trium iugerum dicta freveln wingarte, item omnes fundos tam cultos quam incultos seu bona, de quibus nobis et iamdicto patrueli nostro proventus qui lantgarbe vulgariter dicuntur hactenus exsolvebantur vel exsolvi debuissent, si culta fuissent, cum iure censu et reddito suo, item montem dictum Hôhenberg cum omnibus suis attinentiis et assitas ei terras seu fundos totius sui descensus usque ad rivum dictum Arlebach et ab ipso monte ac rivo usque ad castrum dictum Æntringen extensos, item curiam in Iesingen cum nemore dicto Bûchalde una cum aliis suis pertinentiis, item montem dictum Crûceberg cum omnibus suis attinentiis, item omnia bona, nobis aut predicto patrueli nostro apud Wile<sup>1</sup> apud Altorf et apud Nûwenwiler in nemore Schaienbûch sitis hactenus pertinentia quoquo modo nec non omnes homines ad nos in eisdem villis iure servitutis spectantes cum omnibus predictarum curiarum vinearum fundorum seu proventuum lantgarbe montium nemorum villarum seu bonorum omnium premissorum fundis areis domibus horreis ortis agris pratis pascuis plantis silvis aquis silvarum aquarum ceterorumque usibus viis et inviis cultis et incultis iuribus iurisdictionibus libertatibus hominibus et generaliter cum omni dominio et pertinentiis quibuscunque religiosi viri . . . abbati et conventui monasterii de Bebenhusen Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis nomine ipsius monasterii pro duobus milibus librarum

<sup>1</sup>Weil im Schönbuch, Weil im Schönbuch, BB.

## II

denariorum monete Hallensis nobis in pecunia numerata plenius assignatis vendidimus absolute, volentes ius patronatus ecclesie in Tuwingen predicte cum eisdem curiis seu universitate transire, immo exnunc transisse in ius ac possessionem iam dicti monasterii presentibus confitemur, et adhibitis in ipso contractu verborum ac gestuum sollempnitatibus debitis et consuetis induximus et misimus prefatos religiosos in possessionem corporalem rerum ac iurium omnium premissorum. Ne igitur in proposito deficiat bona fides, recognoscimus ipsum contractum cum omnibus suis clausulis esse legitimum licitum et honestum et nostri parte penitus fructuosum. Unde nichil iuris facti cause vel occasionis nobis aut aliquibus nostris heredibus seu successoribus in premissis venditis reservantes renuntiavimus ac presenti scripto renuntiamus pro nobis ac predictis nostris heredibus seu successoribus beneficio restitutionis in integrum litteris seu gratiis a sede apostolica vel aliunde impetratis ac etiam impetrandis exceptioni deceptionis ultra dimidiam partem iusti pretii doli malitie pacti conventi actioni in factum et generaliter omni exceptioni ac iuris auxilio, quibus mediantibus de facto vel consuetudine presens contractus vel quevis eius clausula debilitari posset aliququaliter vel cassari. Adiectum est etiam in ipso contractu, quod non licebit nobis aut prefatis nostris heredibus seu successoribus obsequium munus aut procuracionem a rectore ecclesie in Tuwingen sepedicte, qui nunc est vel pro tempore fuerit, exigere quovis modo. Nichilominus in memorato contractu sollempniter est annexum, quod prefatis abbati et conventui de Bebenhusen infra muros civitatis Tuwingen prenotate licebit<br> habere domicilium cum curia et orto aliisque congruis attinentiis, preter id quod ibidem hactenus habuerunt, quod inhabitare valeant vel locare si voluerint alii persone de Tuwingen vel undecunque assumpte, que tamen ipsi monasterio dedicaverit se et sua. Quod inquam domicilium cum suis attinentiis antedictis de consensu et voluntate unanimi universitatis civium ville nostre Tuwingen prenotate tanto emunitatis privilegio cum eisdem religiosis seu alia persona pretracta cum sua familia ipsum inhabitantibus libertavimus ac presenti pagina libertamus, ut ab omni stura exactione munere excursionem vigilia omnique servitio prorsus in perpetuum sit immune et ut liceat ipsis religiosis seu cuicumque incole infra septa predicta industriam seu artificium quodlibet exercere, vinum frumentum et quecumque vectibilia sine quovis teloneo vel munere inducere educere ac in eodem domicilio deponere emere vendere ac omnia alia facere, que ipsi monasterio utilia videbuntur, salva nobis tamen ungelta de vino more tabernario vendito, cum a civibus inibi communiter dari solet. Promittentes corporali prestito sacramento ipsum monasterium de Bebenhusen super omnibus predictis rebus seu earundem iuribus ab omni impetitione inquietatione seu molestia, sive iure sive iniuria inferantur, indempne prorsus reddere nostrisque sumptibus et laboribus ipsum ab hiis absolvere fideliter et tueri, cautionem quoque de evictione

### III

prestanda sufficientem et ydoneam ipsi monasterio exhibere per unum annum a data presentium litterarum. Porro si pro huiusmodi waranda seu cautione de evictione prestanda ab intentione sepedictorum abbatis et conventus nos contingeret discrepare, discretorum virorum Diemonis militis dicti Herter de Tusselingen et Marquardi dicti an dem Kilchhof nunc in Ezzelingen capitanei una cum predictis religiosis promissimus stare arbitrio, ita videlicet, ut secundum quod ipsorum prudentie iuxta clausulas ipsius contractus communiter visum fuerit instauremus instauranda et rescindamus similiter remittenda. Suscipientes in nos voluntarie penam illam, quod si secus egerimus in quocunque, debeamus ammoniti quevis facta contraria infra monitionis mensem proximum ad statum premissarum pactionum debitum revocare, alioquin viri discreti pariter et honesti Dietherus rector ecclesie in Waibelingen dictus Herter, . . marscalkus de Bæsenkain, Diemo prefatus dictus Herter, Albertus dictus Sölre milites, Hugo de Halvingen, Mahtolfus iuvenis, Johannes de Tischingen, Bertoldus dictus Undurft, Marquardus capitaneus de Ezzelingen predictus, . . capitaneus in Rütelingen dictus Bæhte et Cunradus scultetus in Wile<sup>2</sup> dictus Rote fideiussores per sacramenti corporalis prestationem seu ipsorum fidei dationem a nobis constituti post ammonitionem ipsis hinc inde factam statim die monitionis octavo locis sibi deputatis verum obstagium subintrabunt et idem obstagium donec ad satisfactionem condignam iugiter observabunt. Quorum fideiussorum si quis pendente warandia decesserit, debet alius eque ydoneus infra mensem a morientis obitu proximum subrogari, aut superstites in obstagio donec ad substitutionem huiusmodi remanebunt. Ceterum specialiter protestamur, quod si dicti religiosi pactum seu conditionem aliquam in hoc contractu sibi necessariam annectere neglexerunt, quancunque hanc a nobis rationabiliter expetentes declaraverint, sic eam ipsis ratificare tenebimur, ac si in ipso contractu fuisset legitime constituta. In quorum omnium et singulorum robur indeficiens presens instrumentum sepedictis abbati et conventui tradidimus sigillorum nostri, Eberhardi patruelis nostri predicti, Cûnradi avunculi nostri de Vaihingen comitum, ac prefate civitatis Tuwingen robore communitum testimonio Cûnradi de Lomershain, Hainrici de Rossewag, Ludewici de Wihingen, Wernheri de Mûlhusen, Cûnradi de Wildenowe militum, Rûdolfi advocati nostri in Asperg, . . notarii nostri et aliorum fide dignorum quam plurium accedente. Nos vero Eberhardus comes dictus Schârer de  
Tuwingen antedictus presentibus evidentius attestamur, quod cum ob inevitabilem necessitatem nobis ex debitorum oneribus imminentem prenotata bona sepedicto Gotfrido patrueli nostro legaliter vendidissemus ipseque eadem succedente tempore legitime possedisset, post hec ipsa cum premissis condicionibus sicut et alia bona sua pretacta sepefato

---

<sup>2</sup>Weil der Stadt, Weil der Stadt, BB.

#### IV

monasterio de Bebenhusen legittime vendidit ac efficaciter assignavit, super quibus, ne cuiquam prorsus hominum liceat ipsos religiosos de Bebenhusen impetere vel aliquo modo pregravare, sigilla nostri ac dilecti leviri nostri C. de Vaihingen comitis predicti cum hac subscriptione presentibus sunt appensa. Nos quoque Albertus dictus Hailant scultetus consules ac universitas civium in Tuwingen omnia et singula premissa tamquam conscii et consentanei sigilli nostri testimonio inviolabiliter approbamus.<br> <br> Actum et datum in Tuwingen, anno incarnationis dominice MCCXCV., idus Maii, indictione octava.

—

Textabdruck folgt dem Original.<br> <br> Die Urkunde ist in drei Exemplaren vorhanden. Davon enthalten zwei (A und B) den vorstehenden Text mit geringen graphischen Abweichungen. Die dritte (C) weicht insofern ab, als sie die Mitbeurkundung Graf Eberhards (nos vero Eberhardus – – appensa) nicht enthält und nur vom Aussteller besiegelt ist. Die Abweichungen sind einzeln aufgeführt in Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins 1 (1850) - 39 (1885), N.F. 1=40 (1886) - [...], Bd. 14, S. 370 f. An A und B vier Siegel, das erste und dritte an roten, das zweite an grünen das vierte an gelben Seidenfäden. 1) [auch an C] Graf Gottfrieds, s. WUB, Bd. VIII, S. 226, Nr. 2970. 2) Graf Eberhards, s. WUB, Bd. IX, S. 169, Nr. 3686. 3) Graf Konrads von Vaihingen, s. WUB, Bd. VIII, S. 68, Nr. 2732. 4) der Stadt Tübingen, rund, 50 mm., Schild mit der Kirchenfahne; Umschrift: S . CIVIVM . COMITIS . GOTFRIDI . IN . TVING.

## Überlieferung und Publikationen

### Lagerort:

HStA Stuttgart

### Signatur/Titel des Originals:

A 474 U 2049, U 2050 und U 2048 (Exemplare A, B und C)

### Überlieferung und Textkritik:

3 Exemplare. Unbeglaubigte Papierkopie: HStA Stuttgart A 474 U 2051. Insetiert in der Urkunde von 1480 Juni 19: HStA Stuttgart A 474 U 2142. Abschriften in den Kopialbüchern HStA Stuttgart H 14 Nr. 18, S. 25, Nr. 24, Heft 11, S. 1-6 und Heft 23, S. 8v (unvollständige Übersetzung).

### Editionen:

Schmid: Pfalzgrafen von Tübingen, Urkundenbuch, 98.

### Regesten:

Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins 1 (1850) - 39 (1885), N.F. 1=40 (1886) - [...], Bd. 14, S. 370.

## Weitere Angaben

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Tübingen

### Ortsindex:

Altdorf Wohnplatz (81)<br> Altdorf, BB<br> Asperg Wohnplatz (878)<br> Asperg, LB<br> Bebenhausen Wohnplatz (16199)<br> Bebenhausen, Tübingen, TÜ<br> Besigheim Wohnplatz (887)<br> Besigheim, LB<br> Dußlingen Wohnplatz (16108)<br> Dußlingen, TÜ<br> Entringen Wohnplatz (16224)<br> Entringen, Ammerbuch, TÜ<br> Enzweihingen Wohnplatz (1115)<br> Enzweihingen, Vaihingen an der Enz, LB<br> Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)<br> Esslingen am Neckar, ES<br> Hailfingen Wohnplatz (16171)<br> Hailfingen, Rottenburg am Neckar, TÜ<br> Konstanz Wohnplatz (14442)<br> Konstanz, KN<br> Lomersheim Wohnplatz (7065)<br> Lomersheim,

Mühlacker, PF<br> Mühlhausen an der Enz Wohnplatz (7067)<br> Mühlhausen an der Enz, Mühlacker, PF<br> Neuweiler Wohnplatz (253)<br> Neuweiler, Weil im Schönbuch, BB<br> Oberdischingen Wohnplatz (16898)<br> Oberdischingen, UL<br> Reutlingen Wohnplatz (15981)<br> Reutlingen, RT<br> Roßwag Wohnplatz (1126)<br> Roßwag, Vaihingen an der Enz, LB<br> Tübingen Wohnplatz (16214)<br> Tübingen, TÜ<br> Unterjesingen Wohnplatz (16216)<br> Unterjesingen, Tübingen, TÜ<br> Vaihingen an der Enz Wohnplatz (1130)<br> Vaihingen an der Enz, LB<br> Waiblingen Wohnplatz (1628)<br> Waiblingen, WN<br> Weil der Stadt Wohnplatz (248)<br> Weil der Stadt, BB<br> Weil im Schönbuch Wohnplatz (257)<br> Weil im Schönbuch, BB<br> Wildenau Wüstung (23697)<br> Wildenau, Pliezhäuser, RT, W